

(a. 69) Turbata per eosdem dies Germania et soci- 3, 46
cordia ducum, seditione legionum, externa vi, perfidia
sociali prope afflicta romana res. id bellum cum cau-
sis et eventibus (etenim longius provectum est) mox
memorabimus.

(a. 69) intersepta Germanorum Raetorumque auxilia. 3, 53

(a. 69) Isdem diebus Fabius Valens Urbini in cu- 3, 62
stodia interficitur. caput ejus vitellianis cohortibus osten-
tatum, ne quam ultra spem foverent: nam pervasisse
in Germanias Valentem et veteres illic novosque exer-
citus cire credebant. visa caede in desperationem versi.

(a. 69) Isdem diebus crebrescentem cladis germa- 4, 12
nicae famam nequaquam moesta civitas excipiebat: cae-
sos exercitus, capta legionum hiberna, descivisse Gallias
non ut mala loquebantur. Id bellum quibus causis or-
tum, quanto externarum sociarumque gentium motu
flagraverit altius expendam. Batavi, donec trans Rhe-
num agebant, pars Chattorum, seditione domestica pulsi
extrema gallicae orae, vacua cultoribus simulque in-
sulam inter vada sitam occupavere, quam mare ocea-
num a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circum-
luit: nec opibus romanis societate validiorum attriti vi-
ros tantum armaque imperio ministrant, diu germanicis
bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria trans-
missis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi
popularium regebant. erat et domi delectus eques, prae-
cipue nandi studio, arma equosque retinens integris tur-
mis Rhenum perrumpere.

Julius Paulus et Claudius Civilis regia stirpe multo 4, 13
ceteros anteibant. Paulum Fontejus Capito falso rebel-
lionis crimine interfecit. injectae Civili catenae missus-
que ad Neronem, et a Galba absolutus, sub Vitellio

*le jeune: invado
Osterni: inva-
sitatum*